

W 4
730







DECANUS
COMMUNITATIS STUDII BONAE
RUM ARTIUM ET PHILOSOPHIAE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

Ad audiendam Orationem

DE
AMORE SUBDITORUM
IN

PRINCIPES,

DIE NATALI

SERENISS. PRINCIPIS ALTENBURGICI,

Quartô & Sexagesimô,

XII. Februar.

Lectorem humanissimè invitat.

Dicet publicè solemniter q̄,

WOLFGANG. FRIEDERICUS THOSS,
EQVES MISNICUS.



LIPSIÆ,

Literis Christiani Michaëlis,

Anno M, DC, LXVI,



1,848.

Sh. M. Nünning

Aristotel.
de Republ.
l.1.c.5.



Reipublicæ speciem reddi ab homine non inelegantem, si animum pariter ac corpus eius diligentius excutiamus, jam apud Veteres Philosophos extra dubitationis aleam fuit positum. Aristoteles noster: *Est animal, inquit, in quo maximè imperium herile & civile videre possis. Animus enim in corpus, qualem in servum Dominus, habet potestatem; mens a. in appetitum civile & regium exercet imperium. In quibus nemini dubium est, esse naturale atq; utile, animum imperare corpori: Mentemq; atq; rationem ei particula moderari, qua perturbatione movetur & affectu; Aequalitatem autem aut præposterum imperium omnibus esse perniciosum.*

Claud. Car.
ninius in
append. ap-
pant. belli.
ci oppugnat
turris Ba-
bel à p. 741.
usq; ad finē.
Guillelm.
Du-Vallius
Synops. A-
nal. doct.
Peripat.
part. 2. p.
67. seqq.

Similia de Republica hominis interna apud omnium ætatum Scriptores non pauca invenias. Mitto cæteros. Nostrò vero seculò Claudius Car-
ninius, Theologus ac Jctus Duacensis, imperium illud humanum intra homi-
nem, coloribus Reipublicæ benè constitutæ ita depinxit integrum, ut expref-
sam ejus imaginem reddere videatur. Magistratum enim summum, & subdi-
tos, judicem & tribunal, damnatorum deniq; aut reorum supplicia ac pœnas,
cæteraq; ad exemplar Societatis civilis, in nobis ipsis tanquam in theatro do-
mestico quotidiè spectanda, non ineptè introducit. Du-Vallius verò nostri et-
iam temporis scriptor, imperfectam hanc imaginem ratus, inter ipsas etiã cor-
poris partes Aristocraticum regimen instituit, idq; justò quodam partiù prin-
cipum Triumviratu definiri censet. Hepar enim partium principum infimam,
infimam etiam corporis regionem, cor mediam, & cerebrum deniq;, partium
principum ob divinas actiones & intelligentiæ officia principem, supremam
corporis partem quasi munitissimam arcem obtinere asserit. Aristocraticum
verò regimen cum benignius existat in plures, quibus indivisam simul maje-
statem tribuit, liberius quoq; est à studiosis partium, qui in regimine faculta-
tum animæ monarchico modò huic, modò illi principatum deferre gestiunt.
Non enim ignotum est in Philosophia Scholastica leviter versatis dissidium
inter Thomæ & Scoti discipulos, quorum illi intellectum, hi voluntatem eli-
gunt Principem. Horum v. lites expendere, sententiamq; dicere de singulis,
instituti ratio vetat. Voluntatem tamen cæteris imperare facultatibus, extra
dubium est; cujus hòc nomine Regiam in animo nostro potestatem esse, Sco-

Medin. 1.2.
9.28. art. 3.

tistæ pronuntiant, defendunt, proclamant. *Quemadmodum enim, inquit ipse etiã
Medina, primū mobile secū trahit & rapit omnes cælos & sidera universa: Sic voluntas
secum universas animi nostri potentias & vires, intellectum, memoriã, desideria, membra
etiam corporea, & omnia quæ in iis sunt, ciet.* Elegans oppidò simile, quò Politici et-
tiam ad declarandam Regum Majestatem passim utuntur. Quadrat enim ad u-
trumq; procul dubio regnum, animi & civitatis, hòc etiam sensu illud Plato-
nis: *in cælo scilicet Reipublicæ optima constare conspicuum exemplar, ei, qui intueri volu-
erit, & se ipsum ad illud, cum intuitus fuerit, instituere.* Quod si enim ad motum pri-
mi mobilis jam tantum respiciamus, citatissimum illum aspiduumq;, sed simul
certissimum & sine omni violentia validissimum poterimus deprehendere. U-
tinam nos quoq; imperatò à recta ratione motu simili promptitudine semper
procurreremus! Utinam imitemur subditos fideles ac bonos, qui gloriam sibi
parendi relictam gratulantur! Dominium sanè voluntatis nostræ est amplis-
simum. Subditos agnoscit, qui parere tantum sciunt; nec excludit eos, quibus
aliqua imperandi scientia ac potestas est. Illius censûs ea animæ facultas est,
quæ movendis singulis partibus totiq; transferendo corpori à natura præfi-
citur, promptissima semper ad exequendum imperia voluntatis nostræ, ut ser-
vi titulum isthòc nomine passim non invita recipiat. Magistratui inferiori si-
millimus est appetitus inferior, homini cum brutis communis, qui inter subdi-
tos voluntatis in homine scriptus non planè nullam Majestatis particulam te-
nacissi-

Plato 9. de
Republ. in
fine.

nacissimè retinet, eâq; se privari nunquam patitur. Nec in tanta imperii am-
 plitudine ordo potest desiderari. In limitibus enim regni tanquam in specula
 excubitores disposuit suos Rex noster, quinque scilicet exteriores sensus, qui
 de advenientibus hostibus ac amicis facti certiores, imminetia mala atq; bo-
 na confestim in aulam perferre properant. Nec mora; hinc omnia cursorum
 compendia, quæ ulla ætas excogitavit, longissimè superantur. Vix oculus vi-
 dit, vix audivit auris positum in propinquo bonum aut malum, cum in eodem
 momento, superatis omnibus interiorum sensuum ambagibus, id animus ipse
 jam cognoscit. Tunc verò variis defatigatur imperiis Voluntas Regina, Et
 cum cæca sit, procul dubio aberraret sibi relicta, nisi Consiliariò uteretur pro-
 bô ac prudente quem Intellectum esse statuimus. Hic vero leges habet funda-
 mentales, quibus tutò nititur. Talibus enim legibus aptissimè conferri pos-
 sunt principia congenita, quæ fundamenta omnis honestatis veræq; beatitu-
 dinis esse, non aliter ac leges fundamentales Reipublicæ, novimus. Ad has re-
 spiciens leges, & ex his cum voluntate agens consulendo intellectus, nec falli
 ipse, nec voluntatem potest fallere. Optimè quoq; consulunt sibi & communi
 saluti reliquæ animæ facultates, quando consilia intellectûs & voluntatis iussa
 ipsis legibus fundamentalibus conformia, promptè sequuntur & exequuntur.
 Nihil enim probô ac prudenti regimine, subditorumq; in magistratum amore
 salutarius potest excogitari. Sed hinc invenimus quoq; intra nos ipsos non ra-
 rò rebelles & novarum rerum studiosos. Appetitui suum relinqui imperium in
 nobis, tanquam magistratui inferiori, ipsi confessi sumus. Consiliarium igitur
 conducit Rationi statûs sui faventem, Machiavellistam, adulatorem, suaviaq;
 tantum ac utilia suadentem & expetentem. Is est phantasia, quæ ultra bonum
 utile & jucundum prospicere non potest, ideoq; in his fastigium beatitudinis
 ultimumq; terminum constituit. Talia quoque Domino suo persuadet effica-
 cissimè, eumque contra Magistratum superiorem perversis consiliis instruit.
 Hinc inobedientia, hinc contumacia, hinc ipsa rebellio appetitûs adversus sa-
 nam rationem. Eodem modò, nisi me omnia fallunt, ipsæ etiam Respublicæ
 intereunt ac conservantur. Magistratus imperando justè & legitimè, subdi-
 torum amorem provocat. Subditi amorem magistratui exhibendo, ipsum sibi
 conciliant ulteriùs, egregiumq; utriq; publicum felicissimè promovent. Quid
 verò amore subditorum extinctò non evenire mali poterit? Rebelles evadent
 cives ipsi, & studiò novarum rerum ducti, ruinam Reipublicæ attrahent. Non
 autem ferre possumus in Carninio, quòd colophonem libello de Republica *Carnin. l. c.*
 interna, non sine elegantia, scilicet, impositurus, à Luthero talem inter Chri- *cap. ultimò.*
 stianos formatam esse Rempublicam finxerit, quæ solutis omnibus vinculis
 pessimè cohareat, & infra infimum quemlibet infernalis regionis locum deji-
 ci mereatur. Scilicet nec Papam, nec Episcopum, nec ullum hominum habere
 jus unius syllabæ supra populum Christianum, heroicò spiritu affirmavit Me-
 galander Lutherus. Hinc illæ lachrymæ. Sed tantum abest, ut per destructam
 Monachorum Monarchiam everterit Respublicas Lutherus, ut eas potiùs in
 pristinam vendicaverit libertatem, & à servitute servi fervorum redemerit.
 Tantum enim hodiè Magistratui didicimus tribuere, ut DEUM-Hominem, non
 hominem supra illum extollamus. Sic informavit nos Lutherus; Quid Luth-
 rus? Sic informavit nos Spiritus Sanctus. Ex hac disciplina amor inter Magi-
 stratum & subditos reciprocus Principum liberis ac subditorum à teneris apud
 nos unguiculis inculcatur. Quid vero Carninius, ejusq; Socii? Parricidia do-
 cent, omniq; humanitate, ne dicam reverentiâ, exutâ, insanix superstitioso-
 rum hominum Magistratus objiciunt. *Nemo enim opinor, inquit Casaubonus, Casaubon.*
sanus cerebri dicat, parricidarum sicas magis principibus metuendas, quàm venenata Ala- *Ep. 624. ad*
storum scripta, quæ doctrinâ Satanicâ infectas mentes ad parricidia ducunt. Non enim *Front. Duc.*
tunc incipit aliquis esse parricida, cum ad scelus patrandum manum expedit, Tunc tunc P. 712.
scelus

scelus contrahitur, quando incipit mens doctrinâ (Mariana aut similitum ejus) corrumpi. Aliud apud nos, teste conscientia & experientia, vinculum teneris injicitur animis, quò Magistratui per omnem ætatem validissimè obstringuntur. Prohibet crastinò die ex nostro cætu Vir juvenis Nobilissimus ac doctissimus Dominus WOLFGANGUS FRIDERICUS THOSS, EQVES MISNICUS, civis fidelis ac gratus, qui specimen eruditionis dare se non posse judicavit, nisi testimonium fidei suæ erga Magistratum ipse simul in publicum proferret. Incidit enim in crastinum diem dies natalis Serenissimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI WILHELMI, Ducis Saxonix, Julix, Clivix ac Montium, Landgravii Thuringix, Marchionis Misnix, Comitum Principali dignitate Hennebergæ, Comitum in Marca & Ravensberg, Dynastarum in Ravenstein, Domini nostri Clementissimi; quò singulari DEI gratiâ annum ætatis LXIII, rarò exemplò Heros Inclutus superabit. Ultra hunc factorum limitem progressus olim Augustus Cæsar, ad Filium scripsisse hæc verba Gellio dicitur: *Have mi Cai, meus ocellus jucundissimus: quem semper medius fi-*

Gellius Noct. At- eic. l. 15. c. 7. requirunt meum Cajum: Quem, ubicunq; hoc die fuisti, spero letum & benevalentem celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum. Nam, ut vides, κλιμακτηρια communem seniorum omnium tertium & sexagesimum annum evasimus. Illud filii officium sibi pietatem erga Patrem Patriæ imponere probè intellexit Nobilissimus Orator noster, quò nomine lætari cum Principe, lætitiâque proderè argumentò & monumentò voluit bono cive dignissimò. Verba enim facere instituit de excellentia Amoris subditorum in Principes, & de commodis, quæ promittere ille, & quibus ipse mediis conciliari possit. Argumentum omninò pietati opti-

Plin. in Pa- negyr. Tra- jan. p. 4. Divinitatem Principis nostri, an humanitatem, temperantiam, facilitatem, ut amor & gaudium tulit, celebrabimus universi? Celebrabimus audiendo, Pietatemque Oratoris verecundâ attentione assequi studebimus. Vos enim, Rector Magnifice, Perillustris ac Generosissime Comes de Lynar, cæteri que utriusque Republicæ Proceres ac Cives eruditi, rogamus humiliter, officioseque universos ac singulos, ut crastinò die finitis sacris matutinis in Auditorio Philosophorum Nobilissimi Oratoris nostri pietatem auscultando excitare ac fovere, Deumque ad exaudiendum pia vota, pro salute Principis totiusque Illustrissimæ Domûs Saxonix, sollicitare ipsi velitis. Utrumque poscit Pietas vestra, cujus vicissim præmia vobis, gratumque nostrum animum promittimus.
P. P. XI. Febr. Dominicâ Septuages. A. M. DC. LXVI.



re
or
us
in
lo
or
bi
if
if
oi
en

di
m
ob
re
a
co
m
em
nū
it
ias
in
te
ro
no
an
ro
nā
&
iū
eo
le
rū
ar

ULB Halle 3
004 975 529


561

1017





L. 32, 29.



DECANUS COMMUNITATIS

RUM ARTIUM ET P

IN ACADEMIA

Ad audiendam Or

DE

AMORE SUBD

IN

PRINC

DIE NATA

SERENISS. PRINCIPIS

Quartò & Sex

XII. Febr

Lectorem humani

Dicet publicè sole

WOLFGANG. FRIEDR

EQVES MIS



LIPSI

Literis Christiani

Anno M, DC, L



*Altenbg.
Fried. Wilh. II*

1,848

Lu. M. Nimmay